seditque super struem lignorum, ipsa ligna gummi aromatico perfudit ea impinguans et cremabilia reddens; ad hoc autem accedentibus solis fervidissimis radiis mox ligna accensa sunt et in cinerem concremata; cum quibus et ipsa avis pariter consumta est. Haec videns sacerdos intellexit mirificum quid in hoc facto fieri, precavit ne cineres removerentur finem videre volens illius insueti sacrificii. Post triduum autem templum ingressus digito diligentius cineres scrutatus est, in quibus reperit vermiculum vivum complicatum, qui odore suavissimo fragrabat nec deformis erat, ut ejus aspectus suspicionem veneni homini generare posset, sed quodam singulari prae aliis vermiculis pollebat forma nobili. Secunda die iterum sacerdos accessit et vermiculum in aviculam profecisse invenit. Tertia die cum accessisset, invenit avem completam et perfectam stantem in loco cinerum, ac si esset avis domesticata, quae sacerdoti adstanti quasi valefaciens evolavit. De hac ave habetur in Epistolari beati Jeronymi, Volume II. L. 3. Tractat. 8. fol. 204.; valde pulchra in epistola ad Praesidium, et in Speculo naturali L. XVII. C. 74., et in Bartho. de proprietatibus rerum. Nec hoc, quod dictum est, contingit frequenter, sed semel, Deo disponente, pro significatione passionis Christi, qui semel igne charitatis incensus in ligno mortuus est, factum in Aegypto fuit. Non enim est avis aegyptiaca sed arabica, nam Arabia felix, quae mediat inter sinum persicum et sinum arabicum, inter innumera pretiosa et aromatica, quae gignit, etiam phoenicem nobilissimam nobis mittit, quae in toto orbe est sine pari, vivens ultra quingentos annos unica et sola. De qua Albertus Magnus Lib. de animalibus XXIII. C. 4. dicit, quod phoenix est aquilinae magnitudinis, pulcherrima, caput habens ut pavo, fauces cristatas, circa collum fulgore aureo purpureus est, caudam habet longam purpurei coloris, pennis quibusdam roseis interscripta, sicut interscripitur cauda pavonis quibusdam orbibus ad modum oculorum formatis, et haec varietas est mirae pulchritudinis. Cumque sentit se gravari aetate, transcensis ultra quingentis annis, secundum Isidem XII. ethicorum, construit sibi nidum de pretiosissimis pigmentis, faciens sibi domicilium aptum suae nobilitati, super arborem altam, sitam super limpidissimum fontem, ipsamque arborem lignis nobilissimis replet exsiccatis, incendio aptis, et rogum magnum construit; quibus autem sic paratis

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-4;